SACRAE ROTAE
ROMANÆ

Literæ Executoriales vnà cum ſententia definitiua lata, & promulgata in fauorem RR. & RR. Confeſſarij, Fratrum, Abbatiſſæ, Prioriſſæ, Monialium, necnon eorum, & earum adhærentium Ordinis S. Brigittæ in Teneramunda.

CONTRA

Reuerendiſsimum D. Antonium Trieſt Gandenſem Epiſcopum Aduerſarium in Cauſa principalem.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. 1648.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

SERENISSIMO POTENTISSIMO & Catholico Principi & Domino, Domino PHILIPPO ab Auſtria, diuina fauente clementia, Hiſpaniarum Caſtellæ, Legionis Aragonum, Neapolis, vtriuſque Siciliæ citra & vltra Pharum, Valentiæ, Nauarræ, Sardiniæ &c. Regi, Archiduci Auſtriæ, Mediolani Duci, Burgundiæ, & Flandriæ Comiti, Indiarum quoq. Orientalium & Occidentalium, maioris Oceani, & noui Orbis Dominatori cæterorumque Regnorum, Ducatuum, Comitatuum, & Dominiorum veſtrorum fælicis proſperitatis augmentum. Nec non Illuſtriſsimis & Reuerendiſsimis in Chriſto Patribus & DD. Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopo Cameracen. & Tornacen. & Antuerpien. Epiſcopis cæteriſque quorumcunque locorum Ordinarijs, eorumque & cuiuslibet ipſorum in ſpiritualibus & temporalibus Vicarijs, ſeu officialibus, aut Prouiſoribus generalibus.

VNIVERSIS quoque & ſingulis DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Sacriſtis, tam Cathedralium quam Collegiatarum, ac etiam metropolitanarum Canonicis, Curatis, & non curatis Vicarijs perpetuis, Altariſtis, ac Monaſteriorum, ordinum quorumcunque Generalibus, Prouincialibus, Miniſtris Guardianis, Fratribus, Monachis, Regularibus, Conuentualibus, exemptis & non exemptis, cæteriſque Præſbyteris, Clericis, Notarijs, & Tabellionibus publicis quibuſcunque per Ciuitates, & Diocæſes præfatas, ac alias vbilibet in ſolidum, nec non Illuſtriſsimis, & Excellentiſsimis Illuſtribus, & Magnificis Dominis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Domicellis, Capitaneis, Conſulibus, Iuſtitiarijs, Aduocatis, & Curiarum quarumcunque maioribus Præfectis, Baiulis, Seruientibus, Curſoribus, Præconibus, & officialibus Iuſtitiæque Eccleſiaſticæ, & ſecularis Miniſtris, alijſque Dominis, & perſonis Iuriſdictionem ſpiritualem, & temporalem, ac ordinariam per Regna, & Dominia ſuæ Catholicæ Maieſtatis ſubiecta, & alias vbilibet exercentibus, & conſtitutis, & præſertim Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Gandenſi Epiſcopo in infra inſertis Commiſſionibus, & ſententia ex aduerſo principaliter nomi-

nato eiuſque Domino Delegato Officiali Mechlinienſi Iudici a quo
omnibus alijs, & ſingulis, quorum intereſt, intererit, aut inte-
reſſe poterit quomodolibet in futurum quibuſcunque nominibus
cenſeantur, & quacumque perfulgeant dignitate, illique, vel illis,
ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ litteræ peruenerint, ſeu
præſentabuntur, *Angelus Celſus*, vtriuſque Signaturæ Sanctiſſimi
Domini Noſtri Papæ Referendarius, & Cappellanus, ac ipſius Sa-
cri Palatij Apoſtolici cauſarum Auditor Iudexque Commiſſarius
& executor vnicus ab eodem S.D.N. Papa in locum Eminentiſſimi
& Reuerendiſſimi D. Ioannis Iacobi Cardinalis Panziroli in mino-
ribus Patriarchæ Hieroſolomytani, & Rotæ prædictæ Auditoris, &
& locumtenentis quoad auditoratus officium ſuffectus, & ſpecia-
liter deputatus ſalutem in Domino, & Præſentibus fidem indubiam
adhibere, ac in commiſſis diligentiam facere, noſtriſque huiuſmo-
di immo verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis.

Noueritis, quod alias fuit dicto Eminentiſſimo & Reuerendiſſimo
D. Cardinali Panzirolo tunc Rotæ prædictæ Locumtenenti, ex par
te fæl. record. Vrbani Papæ VIII. præſentatata Commiſſio tenoris
infraſcripti, videlicet.

BEATISSIME PATER. Deuoti S. V. Oratores Rutgerus Auriga-
rius Confeſſarius, & Soror Maria Spelders. Monaſterij Ordinis
S. Birgittæ Abbatiſſa Monaſterij Teneramundani, appellarunt ad
S. V. a grauaminibus, & ſpolio violento per Epiſcopum Gandauen.
Aduerſarium in perſonas dicti Monaſterij commiſſo, cauſamque
appellationis committi obtinuerunt Ordinario Antuerpienſi cum
facultate in primis, & ante omnia reuocandi attentata, coram quo
decretum prouiſionale ſuper reuocatione attentatorum reporta-
runt, & quia Aduerſarius appellauit & forſan appellatio admiſſa
fuit, propterea oratores habuerunt recurſum ad Signaturam Iuſtitiæ
& obtinuerunt committi eidem Antuerpienſi, qui procederet ad
executionem decreti præfati non obſtante appellatione ex aduerſo
interpoſita, poſtea fuit reſcriptum alteri de conſenſu partiũ eligendo
quod reſcriptum exequi non poteſt, ſtante diſcordia partium à dif-
finitiua Iudicum illarum partium & cauſa eſt grauiſſima, & agitur
de exemptione monaſterij inſignis, & cauſa eſt in ſecunda, ſeu alia
inſtantia, quæ nullibi melius quam in Rota cognoſci valet, vbi iu-
ſtitia omnibus æqua lance miniſtratur. Propterea Oratores prædi-
cti ſupplicant S. V. quatenus dignetur cauſam, & cauſas executio-
nis decreti ordinarij Antuerpien. ſuper reuocatione attentato-
rum promulgati, nec non quam & quas &c. vna cum omnibus in-
eiſden. dependen. emergen. annexis, & connexis totoque negotio

Digitized by Google

principali alicui ex V. Sacri Palatij Cauſarum Auditoribus, audien. cognoſcen., deciden. fineque debito terminan., committere, & mandare cum poteſtate citandi, & inhibendi etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & pœnis pecuniarijs, quos quibus& quoties opus fuerit, aliaque facien., geren., exercen., in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna, præmiſſis necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſtylo Palatij, cæteriſque contrarijs, non obſtantibus quibuſcunque, ſtatum &c. pro plenè, & ſufficienter expreſſis haben., *vel ſi magis placet* committatur in Rota ſine præiudicio purgationis attentatorum, De mandato D. N. Papæ, Audiat Magiſter Io. Iacobus, citet, inhibeat, etiam ſub cenſuris procedat, vt in ſecunda parte petitur, & iuſtitiam faciat, Placet D. N. Papæ de ſecunda parte *Franciſcus Cardinalis Barberinus.*

Cuius quidem præinſertę Commiſſionis vigore dictus Eminentiſſimus D. Panzirolus Citationem legitimam, vna cum inhibitione, ſub pœnis, & cenſuris inſerta, contra & aduerſus Reuerendiſſimum D. Epiſcopum Gandauen. ex aduerſo principalem, omneſque alios & ſingulos ſua communiter, vel diuiſim intereſſe putantes extra Romanam Curiam, & ad partes decreuit & conceſſit, terminumque competentem ad comparendum coram eo ſtatuendo, & aſſignando, & tandem termino huiuſmodi poſt dilationem aſſignatam longe effluxo, conſtito ſibi de legitima dictæ Citationis cum inhibitione executione in partibus facta, Proceſſum in cauſa huiuſmodi tenen., & obſeruan. contra dictum Reuerendiſsimum Dominum Epiſcopum Gandauen. ex aduerſo principalem, omneſque alios ſui communiter vel diuiſim intereſſe putantes, eorumque Procuratores, Si qui eſſent pro eiſdem in Romana Curia decreuit, Actiſque ſeu Proceſſu huius cauſæ in partibus inter ſupra dictas partes fabricato, alijſque Iuribus, & documentis, ad cauſam facientibus pro parte dictorum RR. Fratrum Confeſſarij, Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & Monialium Monaſterij S. Saluatoris Ciuitatis Teneramundanæ Ordinis S. Brigittæ principalium exhibitis, illiſque receptis, & admiſsis Dubium in Sacro Rotæ Auditorio, An conſtaret de attentatis, quæ venirent reuocanda, propoſuit: & poſt illius affirmatiuam reſolutionem, adita pro parte eorumdem fratrum, & aliorum conſortium principalium Signatura præfati fæl. record. Vrbani VIII. fuit ab ea reſcriptum eidem Eminentiſsimo Panzirolo, vt firma remanente cauſa in Rota ſuper ſtatu Monaſterij, & illius libertate, ſeu exemptione, quoad cauſam exceſſuum, & attentatorum ſuam moderaretur inhibitionem, eamque ad Sacram Congregationem

Digitized by Google

Regularium remitteret prout in quadam ſupplicationis, ſiue com-
miſſionis huiuſmodi papyri cedula manu eiuſdem fel. recordat.
Vrbani Papæ Octaui ſubſcripta, copiam alterius iam præinſertæ Cō-
miſsionis in eius Capite deſcriptam habente, & propterea vlterius
hic inſeri ommiſſæ eidem Eminentiſsimo D. Cardinali Panzirolo
præſentata latius continetur ſubſequentis tenoris, videlicet.
BEATISSIME PATER. Epiſcopus Gandauenſis Aduerſarius vo-
lens ſibi ſubijcere Monaſterium fratrum, & Sororum Ordinis San-
ctæ Brigittæ Ciuitatis Teneramundanæ, proceſſit contra Confeſſa-
rium, & Abbatiſſam Monaſterij ad Carcerationem, & in ſpretum
Appellationis per eoſdem carceratos ad S. V. Interpoſitæ, ad alia
procedimenta, nempe ad euectionem Confeſſarij, & Abbatiſſæ, &
Prioriſſæ, & Monialium è dicto Monaſterio, cum magno ſcandalo
Ciuitatis, & non obſtante inhibitione Ordinarij Antuerpienſis, per
Breue S. V. cum facultate reuocandi attentata deputati, ad electio-
nem nouæ Abbatiſſæ, & Prioriſſæ pariter proceſsit, & a decreto ſu-
per reuocatione attentatorum, per eundem Antuerpienſem parti-
bus auditis etiam per modum prouiſionis facto, appellauit, & poſt-
quam Signatura Iuſtitiæ, vtraque parte informante, cauſam appella-
tionis in Rota R. P. D. Panzirolo, cum clauſula ſine præiudicio pur-
gationis attentatorum, commiſit, vt in præinſerta legere eſt, & actis
tranſportatis Rota ſub die 29. Aprilis proximè præteriti pro attenta-
tatis reſoluerit, idem Aduerſarius ad debitā purgationem attenta-
torum, ſuperſeſſoriam coram S. V. Datario extorſit, & ea pendente
redijt ad Signaturam Iuſtitiæ, & in commiſsione porrecta R. P. D.
Cæſarino petijt cauſam a Rota auocari, & ad Congregationem
Epiſcoporum remitti, & ſignatura reſcripſit ad Sanctiſsimum, &
dum pro parte deuotorum S. V. Confeſſarij, Abbatiſſæ, & Prioriſſæ
Oratoris & Oratricum inſtaretur pro moderatione ſuperſeſſoriæ par-
tes fuerunt remiſſæ ad Signaturam S. V. vnde confeſsarius & Ab-
batiſsa, & Prioriſsa S. V. orator, & Oratrices ſupplicant S. V. qua-
tenus dignetur committere & mandare eidem R. P. D. Panzirolo
Iudici, qui in cauſa & cauſis ad vlteriora procedat, procedique
mandet, & faciat quibuſcunque non obſtantibus, & cum faculta-
tibus, de quibus in preinſerta, cum poteſtate citandi & inhiben-
di, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, ac pœnis pecuniarijs, quos
quibus & quoties opus fuerit, aliaque facien. geren. exercen. in pre-
miſſis, & circa præmiſsa, ſeu quomodolibet neceſsaria, & oppor-
tuna, Præmiſsis, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apo-
ſtolicis, ſtylo Palatij, cęteriſque contrarijs non obſtan. quibuſcun-
que

que,ſtatum &c. pro plene & ſufficienter expreſſis haben. &c. *Vel ſi magis placet firma remanente cauſa in Rota ſuper ſtatu Monaſterij, & illius libertate ſeu exemptione, committitur eidem Rota, ſeu D. Panzirolo, vt quoad cauſas exceſſuum, & attentatorum ſuam moderetur Inhibitionem & eas remittat ad Congregationem Regularium, de mandato D.N. Papa Io. Iacobus procedat vt in ſecunda parte petitur, & iuſtitiam faciat, Placet de ſecunda parte.* Maffeus.

Huiuſmodi quidem Commiſſionis vigore Inhibitionem alias vigore primo loco præinſertæ commiſſionis emanatam, quoad cauſam exceſſuum, & attentorum dictus Eminentiſſimus D. moderatus fuit, eamque ad ſacram Congregat. Regularium remiſit. Poſtmodum idem Patriarcha Hieroſolymitanus à fæl.record. Papa Vrbano Octauo Nuntius in Regnis Hiſpaniarum pro ſancta Sede Apoſtolica miſsus ibique commorãs, ab eodem Summo Pontifice ad Cardinalatus dignitatem promotus fuit, & tandem Nos in illius locum quoad Auditoratus Officium à Sanctiſs. D.N. Innocentio Papa Decimo ſuffecti, cauſam & cauſas huiuſmodi in ſtatu & terminis in quibus reperiebantur, in forma ſolita reaſſumpſimus, ac in cauſa & cauſis prædictis, inter partes præfatas, vlterius procedendo, particulare dubium, An ſcilicet conſtaret de omnimoda exemptione & libertate ſupradicti Monaſterij, & Monialium a Iuriſdictione dicti Reuerendiſſimi D. Epiſcopi Gandaueñ Aduerſarij, in Rota propoſuimus, eoque, in contumaciam dicti D. Epiſcopi negligentis comparere, & informantibus tantum monialibus, & alijs conſortibus prædictis affirmatiuè reſoluto, ex cauſis & rationibus deductis in deciſione coram nobis deſuper emanata et impreſſa, viſiſque videndis, conſideratis conſiderandis & cognitis ad plenum ipſius cauſæ meritis, de RR.PP.DD. Coauditorum noſtrorum voto, Conſilio, pariter & aſſenſu noſtram in ſcriptis tulimus & promulgauimus ſententiam in hunc qui ſequitur modum videlicet.

CHRISTI NOMINE INVOCATO, Pro tribunali ſedentes & ſolum Deum præ oculis habentes per hanc noſtram diffinitiuam ſententiam quam de DD. Auditorum noſtrorum conſilio pariter & aſſenſu in his ſcriptis ferimus, in cauſa & cauſis quæ primo coram Reuerendiſſimo D. Epiſcopo Gandenſi eiuſque delegato Officiali Mechlinienſi, & deinde coram Eminentiſſimo & Reuerendiſſimo D. Cardinali Panzirolo tunc Rotæ Auditore, et nunc nobis in locum dicti Eminentiſſimi D. Cardinalis Suffecto inter RR. PP. Confeſſarios & fratres, nec non RR. Mariam Spelders Abbatiſſam, Annam vander Becken Prioriſſam, Moniales, & illorum illarumque

 con-

conſortes, ordinis S. Birgittæ in Teneramunda, ex vna, & D. Gandenſem Epiſcopum Aduerſarium de, & ſuper omnimoda exemptione, & libertate, a Iuriſdictione Ordinarij, rebuſque alijs in actis cauſæ & cauſarum huiuſmodi latius deductis, ac illorum occaſione in ſecunda ſeu alia veriori vertebantur Inſtantia, & pendebant indeciſæ, partibus ex altera: Dicimus, pronunciamus, ſententiamus decernimus & declaramus, bene fuiſſe pro parte DD. Confeſſariorum, Fratrum, Abbatiſſæ, Monialium, illorum, & illarum conſortium ab ordinationibus, ſententijs, decretis, & proceſſibus prefati D. Gandeñ Epiſcopi, illiuſque delegati Officialis Mechlinieñ prouocatum & appellatum, maleque per dictum Dominum Epiſcopum Gandaueñ, eiuſque delegatum, officialem Mechlinienſem, ordinatum, ſententiatum, & definitum, eiuſdemque Gandeñ Epiſcopi, illiuſque delegati Mechlinienſis, prædictorum ordinationes, ſententias, decreta & proceſsus reuocañ fore & eſſe prout reuocamus, & propterea RR. Confeſsarios, & RR. Abbatiſsam Prioriſsam, & Moniales, cũ illorum, & illarum conſortibus, ab impetitionibus præfati D. Epiſcopi Gandaueñ abſolueñ, & abſoluen. fore & eſse, prout abſoluimus, dictoſque fratres, Moniales, illorum & illarum Monaſteria, cum omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, ab omnimoda Iuriſdictione, auctoritate, poteſtate, Dominio, viſitatione, Reformatione, Correctione, & lege ſeu vinculo dicti D. Epiſcopi eſſe prorſus exemptos & exemptas, & ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectos, & ſubiectas, præfato vero Domino Epiſcopo nullam iuriſdictionem, poteſtatem, auctoritatem, Dominium, viſitationem, reformationem & Correctionem, in dd. fratres & Moniales, earumque Bona Competere ſeu competijſse, ac proinde moleſtias omnes, vexationes, oppoſitiones, Contradictiones, exceptiones, recuſationes, & impedimenta quæcunque per D. Epiſcopum Gandaueñ, præfatis Confeſsarijs, fratribus, Abbatiſsæ, & Prioriſsæ ac Monialibus eorum, earumque reſpectiuè Monaſterijs in præmiſſis & circa ea quomodolibet facta & præſtita, fuiſse & eſse temeraria, iniqua, indebita, Illicita, & iniuſta, ac de facto præſumpta, illaque inferre minime licuiſse, & propterea de, & ſuper illis eidem Epiſcopo perpetuum imponendum fore & eſse ſilentium, & imponimus, nec non dictum Epiſcopum in expenſis in cauſa factis condemnandum fore et eſse, prout condemnamus, quarum taxationem nobis vel cui de iure impoſterum reſeruamus, & ita dicimus, pronuntiamus, ſententiamus, decernimus, & declaramus non ſolum prædicto, ſed omni alio meliori modo, via, forma, quibus &c. Ita

A pro-

pronunciaui ego *Angelus Celſus Sac. Rot. Auditor & Iudex &c.*

Quæ quidem præinſerta noſtra diffinitiua ſententia per nos vt præfertur lata & promulgata, poſtquam nulla prouocatione ſuſpenſa in rem tranſiuiſset iudicatam, ſeruatis prius iuxta Inueteratum huius tribunalis ſtylum, quatuor terminis ſubſtantialibus, ad docendum de appellatione, eiuſque legitima proſecutione primo pro prima, ſecundo pro ſecunda, tertio pro tertia, & quarto pro quarta, & ſuper abundanti dilatione, ſucceſſiuè ad Inſtantiam infraſcripti D. Procuratoris dd. RR. Fratrum Confeſsarij, Abbatiſsæ & aliorum conſortium principalium, d. Reuerendiſſimum D. Epiſcopum Gandauenſem ex aduerſo principalem, omneſque alios ſua communiter, vel diuiſim intereſse putantes, eorumque Procuratores, ſi qui ſint in Romana Curia, pro eiſdem per eandem audientiam publicam litterarum Contradictarum Sanctiſſimi D. N. Papæ, ad videñ. & audieñ inter alia ſuprainſertam noſtram diffinitiuam ſententiam in iudicatum tranſactum exequi, & pro contentis in ea, & re iudicata prædicta, dd. RR. Fratribus, Confeſsario, Abbatiſsæ, & Monialibus, & Conſortibus principalibus, litteras ſiue proceſsus executoriales deſuper neceſsarios, & opportunos, in forma ſolita & conſueta decerni & concedi, vel dicendum, & cauſam, ſi, quam haberent iuſtam & rationabilem, quarè præmiſsæ fieri non deberent allegandum, ad certum peremptorium terminum competentem citari mandauimus & fecimus, ad diem ſcilicet & horam infraſcriptas.

Quibus Aduenientibus, comparuit in Iudicio legitimè coram nobis Admodum Illuſtr. & Admodum R. D. Aegidius Molarcha Sacræ Theologiæ, & Iuris vtriuſque Doctor, & Prothonotarius Apoſtolicus, Ordinis Sanctæ Birgittæ, & Monaſterij Teneramundani, aliorumque conſortiū principalium, Syndicus, Procurator & agens prout de huiuſmodi ſuæ procurationis ſiuè Conſtitutionis Procuratoris mandato in actis, & proceſſu huius cauſæ legitimis conſtat documentis, & eo nomine, prædictam noſtram præinſertam diffinitiuam ſententiam, & rem iudicatam, per nos exequi, & debitæ exequutioni demandari, nec non litteras, ſiue proceſſus executoriales pro omnibus & ſingulis in eis contentis, negotium principale concernentibus, deſuper neceſſarios & opportunos, ſibi dictiſquè ſuis principalibus decerni & concedi debita cum Inſtantia poſtulauit.

Nos tunc Angelus Celſus Auditor Iudex que Commiſſarius & executor præfatus, attendentes, poſtulationem huiuſmodi fore & eſſe iuſtam ac rationi conſonam, quodque parum prodeſſet ſententiam ferre, & rem iudicatam reportare, niſi debitæ exequutioni demandarendaren-

darentur, idcirco auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, & qua fungimur in hac parte in vim rei Iudicatæ huiuſmodi prædictam præinſertam noſtram diffinitiuam ſententiam pro omnibus & ſingulis in eo contentis negotium principale concernen. (ſine tamen præiudicio mandati executiui pro expenſis litis in quibus dictus Reuerendiſſimus D. Epiſcopus Gandauen Aduerſarius ſententialiter vt ſupra condemnatus exiſtit, per nos decreti, & relaxati) exequen. & debitæ executioni demandan. fore & eſſe duximus ac litteras ſiue proceſſus executoriales deſuper neceſſarios & opportunos extra Rom. Curiam & ad partes decreuimus, conceſſimus, & relaxauimus prout decernimus, concedimus, & relaxamus per præſentes in forma ſolita & conſueta.

Quæ omnia & ſingula præmiſſa, & hunc noſtrum proceſſum, ac in eo contenta vobis omnibus & ſingulis ſupradictis quibus præſens noſter proceſſus dirigitur Intimamus, inſinuamus & notificamus, ac ad veſtram, & cuiuslibet veſtrum notitiam deducimus, ac deduci volumus per eaſdem præſentes ne de illis ignorantiam in futurum prætendere aut alias quomodolibet allegare valeatis.

Etnihilominus auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, & qua fungimur in hac parte; Vos Potentiſſimum, & Catholicum Principem Philippum Hiſpaniarum Regem antedictum in illis partibus iuſtitiæ Zelatorem benigne in Domino exhortamur, atque rogamus, Vos verò omnes & ſingulos alios quibus præſentes noſtræ litteræ diriguntur & veſtrum quemlibet in ſolidum communiter vel diuiſim earundem tenore præſentium, ac auctoritate prædicta requirimus, & monemus primo, ſecundo, tertio, & peremptorie vobiſque, & veſtrum cuilibet in ſolidum in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub infraſcriptis ſententijs cenſuris & pœnis diſtrictè præcipiendo mandamus quatenus infra ſex dies poſt præſentationem ſeu notificationem præſentium, ac requiſitionem vobis ſeu alteri veſtrum vigore earundem pro parte dd. Fratrum, Confeſſarij, Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & Monialium, principalium deſuper factam, immediate ſequen, quos ſex dies vobis, & veſtrum cuilibet pro termino peremptorio, & monitione Canonica aſſignamus, & deinceps, poſtque, quoties, & quandocunque pro parte eorum &c. principalium fueritis requiſiti ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus præfatos RR Fratres Confeſſarium, Abbatiſſam, Prioriſſam, & Moniales, principales, eorumque & earum Monaſteria, à moleſtationibus, vexationibus, oppoſitionibus, Contradictionibus, exceptionibus, recuſationibus, ac perturbationibus, & impedimentis, ipſis principalibus per dictum

Reue-

Reuerendiſſimum D. Epiſcopum Gandauenſem ex aduerſo principalem de & ſuper exemptione, & libertate eorumdem Fratrum Confeſſarij Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & Moniaſium illorumque & illarum Monaſteriorum cum omnibus & ſingulis bonis mobilibus, & Immobilibus, ab omnimoda iuriſdictione auctoritate poteſtate, Dominio, viſitatione, reformatione correctione, & lege ſeu vinculo quomodolibet factis, præſtitis, & illatis defendatis, & tueamini ac ab alijs tueri & defendi faciatis & procuretis nec etiam ab eodem Reuerendiſſimo D. Epiſcopo Gandauen. ex aduerſo principali, vel alio eius nomine quomodo ſuper præmiſſis, & circa ea moleſtari, impediri, inquietari, & perturbari permittatis, vos quoque Reuerendiſſime D. Epiſcope Gandauen. ex aduerſo principalis à moleſtationibus, vexationibus, oppoſitionibus, contradictionibus, exceptionibus, recuſationibus, perturbationibus, & impedimentis ſuper prædicta omnimoda exemptione, & libertate factis, præſtitis, & illatis, penitus, & omnino deſiſtatis, neque eoſdem Fratres Confeſſarium Abbatiſſam, Prioriſſam, Moniales & Monaſteria prædicta principales de & ſuper præmiſſis, & illorum occaſione, de cætero moleſtetis, impediatis, perturbetis, vexetis ſeu moleſtare, impedire, vexare perturbare præſumatis, præinſertamque noſtram diffinitiuam ſententiam per nos vt præfertur ad fauorem dd. Fratrum Confeſſarij, Abbatiſſæ, & aliorum Conſortium principalium, de & ſuper dicta omnimoda exemptione, & libertate latam, & in Iudicatum tranſactam, in omnibus & per omnia iuxta & ſecundum eiuſdem præinſertæ noſtræ diffinitiuæ ſententiæ vim, formam, continentiam, & tenorem in quantum ad vos, et quemlibet veſtrum quomodolibet ſpectat, et pro tempore ſpectabit, exequamini, et debitæ executioni demandetis, et ab alijs quibus opus fuerit demandari faciatis, permittatis, et procuretis libere et licite abſque difficultate, et contradictione quibuſcunque, ita quod dicta noſtra præinſerta diffinitiua ſententia ſuper dicta omnimoda exemptione, et libertate, à iuriſdictione dicti Ordinarij ad fauorem dd. Fratrum Confeſſarij Abbatiſſæ, et aliorum conſortium principalium lata, et in iudicatum tranſacta, omniaque et ſingula in ea contenta debitæ et realiter executioni demandentur ſuoſque plenarios effectus conſequantur.

Inhibemus interea modo & forma præmiſſis, ac inhiberi expreſſe mandamus vobis & ſingulis ſupradictis quibus præſentes diriguntur, & præſertim ſupradicto Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Gandauen.

exad-

Digitized by Google

ex aduerſo principali omnibuſque alijs & ſingulis quorum intereſt aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum, ne vos vel ipſi dd. fratribus Confeſſario, Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & Monialibus, ac cõſortibus prædictis principalibus quo minus præinſerta noſtra diffinitiua ſententia ad fauorem dd. fratrum Confeſſarij,& aliorum ſupradictorum principalium, vt ſupra lata ſupra dicta omnimoda exemtione, & libertate dd. principalium, a Iuriſdictione, & poteſtate ipſius Reuerendiſſimi D. Epiſcopi Gandauen. ex aduerſo principalis, omniaque, & ſingula in ea contenta, ac præmiſſa debitæ executioni in omnibus, & per omnia demandentur ſuoſque plenarios effectus ſortiantur, impedimentum aliquod præſtetis, ſeu præſtent, aut impedientibus ipſos RR. Fratres, Confeſſarium Abbatiſſam, Prioriſſam, & Moniales principales ſuper præmiſſis in aliqua detis vel dent auxilium, conſilium, vel fauorem publicè, vel occultè directè, vel indirectè, etiam ſub quouis quæſito colore, vel prætextu, Alioquin ſi forte præmiſſa omnia, & ſingula prout ad vos, & eos, ac veſtrum, & eorum quemlibet communiter, vel diuiſim pertinet, & ſpectat non adimpleueritis, ſeu adimpleuerint, ac mandatis, monitionibus, & Inhibitionibus noſtris, huiuſmodi, Imò verius apoſtolicis non parueritis, ſeu paruerint cum effectu Nos in vos, & ipſos omnes, & ſingulos ſupradictos, qui culpabiles, & inobedientes fueritis, ſeu fuerint in permiſſis, ac in contradictores quoslibet, & rebelles præſentium executionem quomodolibet impedientes, ex nunc, prout ex tunc, & è contra ſingulariter in ſingulos dicta Canonica monitione præmiſſa, excommunicationis, in Capitula verò conuentus, & Collegia quæcunq. in his delinquētia ſuſpenſionis à Diuinis, in ipſorum autem delinquentium Eccleſijs: (ſeruata Sacri Concilij Tridentini forma:) incurrendas ferimus in his ſcriptis, & etiam promulgamus, Ad quarum quidem Cenſurarum, & pœnarum incurſus declarationem, & ſucceſſiuè eorum aggrauationem, & reaggrauationē in euentum non paritionis ſiue denegationis executionis præſentium, & denique contra quoscunque Contradictores, Inobedientes, & rebelles ad omnem ipſorum pertinaciam conuincendam, àd auxilij brachij ſæcularis inuocationem rite procedemus, procedique curabimus Iuſtitia mediante *Abſolutionem &c.* vero omnium & ſingulorum qui præfatam noſtram excommunicationis ſententiam incurrerint Nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodo reſeruamus.

In

In quorum omnium, & ſingulorum fidem, ac præmiſſorum teſtimonium has præſentes fieri & per Notariũ noſtrũ publicũ infraſcriptum ſubſcribi, & publicari ſigilliquè appenſione communiri iuſſimus. Datum Romæ ex ædibus noſtris Anno a natiuit. D. N. Ieſu Chriſti 1647. Indictione xv. die vero Mercurii xiij. menſis Nouembris Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Dominĩ noſtri Domini Innocentii diuina prouidentia Papæ X. Anno Quarto præſentibus ibidem prouidis & diſceris viris Dominis Petro Cotuennio, & Petro Franciſconio Connotariis atque ſcribis publicis teſtibus ad præmiſſa omnia, & ſingula vocatis habitis atque rogatis.

Loco ✝ ſigni Tabellion.

Et quia ego Vincentius Cicellius Galleſii Sac. Palatij Apoſtolici cauſarum Notarius de præmiſſis pro ſucceſſore quon, Petri Pauli Iuſtiniani dictæ cauſæ Notario rogatus fui ideo hoc præſens publicum Inſtrumentum literarum executorialium pro eo ſubſcripſi, ſignaui, & publicaui requiſ. &c.

Loco ✠ Sigilli pendentis in capſula ænea cum cordula rubra &c.

In Nomine Domini Amen Præſenti publico Inſtrumento cunctis pateat euidenter, & notum ſit, qualiter Die vltima Menſis Decembris 1647. Ego infraſcriptus Notarius ad inſtantiam per Illuſtris & Admodum R.D. Aegidij Molarchæ extraxi & tranſumptaui ſupradictas litteras executoriales, ex ſuo proprio originali, cum quo concordare inueni ſalua ſemper &c. In quorum fidem præſens publicum inſtrumentum ſubſcripſi his die, & anno ſupradictis. Et quia ego Vincentius Cicellius Galleſii

Digitized by Google

leſit Sac. Rotæ Notarius de præmiſsis rogatus Ideo hoc præſens publicum Inſtrumentum tranſumpti ſubſcripſi, & publicaui requiſitus.

Loco ✻ ſigni.

ROMÆ,

Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ.

MDCXLVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google